



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De divortijs. Consilium DL.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

huius ejectionis; cum pro Reo generaliter in ob-
scuro præsumendum sit, l. *Arrianus de oblig. & act.*
l. *Favorabiliores de reg. iur.*

14. Et si de ejectione Rei constaret, nihilo pejore
loco futura esset Rei causa quoad hanc arbitra-
riam correctionem; ob id, quod in priore instan-
tia satis constiterit, quod Anna Reo toxicum seu
venenum præparaverit, & salim immiscuerit: quæ
causa per se sola idonea & sufficiens est ejectionis
ac separationis thori, tam iure Canonico, l. 1. in fi-
ne c. *Ex literis de divor. c. 1. Vt lite non contest. c. Plerum-*
que de donat. inter vir. & uxor. quàm civili. d. l. Con-
sensu, Authent. de nupt. & miores vers. si igitur mulier.
collat. 4. & Authent. Vt licet matri & avia & c. quia verò
plurimas, vers. si quolibet modo col. 8. Quo enim mo-
do vitæ communicatio, aut divinæ ac humanæ
domus confociato (quæ in pacato & bene concor-
di matrimonio esse solet, l. Adversus C. De crimine
expil. hered.) inter eos constare possit, quando in-
fidijs alter ab altero tutus non est? Eaque causa
separationis ceteras omnes ferè superat; cum ex
ea, quæ venenum porrexit, aut porrigere conata
est, uxor propriam dotem amittat, d. c. Plerumque;
& præterea per maritum ali non debeat, Bald. in l.
1. nu. 9. vers. secus si discedat propria culpa C. de legat.
20. in l. si cum dote c. fin. autem in sevisimo Solutio
matrim. Fred. de sensu consil. 176. Dominio Contrardo. Lud.
Bohlog. consil. 23. cor mundum nu. 7. in fine Paris. consil.
54. Asserta sententie nu. 57. vol. 4. Sic ut cum hæc
separationis causa iure comprobetur, non debeat
referri Reo ad aliquam poenam, si ex ea causa vel
eiecit vel eiectionem aut sponte discedentem postea
admittere aut alere noluit uxorem suam, d. l. Grac-
chus.

De probatione huius veneficii seu veneni am-
bigendum non est; ob id, quod ex testimonijs in
prima instantia per Reum productis, satis apertè
constet de empto ex mandato Annæ hoc veneno,
& de impositione ac propositione illius in salino,
etiam ex Annæ confessione. Et si quæ in testimonijs
illis vel obscuritas, vel imperfectio esset (prout verè
est) illa in hac instantia planè discussa ac sublata
esset: primum, per exhibitionem instrumenti lite-
rarum abolitionis, quas per suum supplicem libel-
lū dicta Anna in Provinciali Concilio N. obtinue-
rat: in quo supplice libello hoc veneficium apertè
confessa fuit. Prout etiam ex eadem confessione in
interinatione dictarum literarum abolitionis per
Concilium prædictum condemnata, & in Mona-
sterium ad tempus detrusa fuit. Secundo, per se-
quentem sententiam Domini Officialis N. per
quam sententiam divortio & separatio thori inter
dictum Reum, ac præfatam Annam ex prædicta
veneficii causa declaratur. Ita ut cum ex eventu
compertum sit, Reum iuste recusasse uxoris suæ
consortium, nec id sine vitæ suæ periculo conti-
nuare potuisse; non debuerit ex eadem causa re-
spectu fisci condemnari ad poenam; & respectu
uxoris à vinculo seu necessitate cohabitationis ab-
solvī: ne unum idemque dicatur & condemna-
tionis & absolutionis causam continere, l. *Inter*
*15 stipulantem & sacram. de verb. oblig. ** Cum præ-
terea hæc causa talis sit, cui per remedium
cautionis succurri non possit; & in quā solius
mariti assertioni, quod non audeat ob vitæ peri-
Cons. Wamef. Tom. II.

culum uxori cohabitare, credi debeat; nec possit
iudicio Ecclesiæ urgeri aut cogi ad reconcilia-
tionem aut cohabitationem, *Panor. in c. 1. De di-*
vor. Hyppol. de Marfil. ad l. unic. nu. 307. & seq.
C. De raptu virg. Mulierum enim iræ & vin-
dictæ lævissimæ atque implacabiles sunt, Tirag.
de legib. connub. leg. 9. nu. 184. cum seqq. ita ut illud
Iuvenalis, Sat. 6. sub finem, hic rectè quadret:

Custodite animas & nulli credite mensæ.
Livida coniugio servant adipata veneno:
Mordeat ante aliquis, quicquid porrexeris illa.

Sic ut Reo obijci non possit, quod propriā auctori-
tate Anam expulerit sine iudicio Ecclesiæ: idcōq;
ad illam recipiendam, donec de causa separatio-
nis iudicatum erit, dictus Reus cogi non debue-
rit; ut in alijs causis separationis observatur, c.
porro c. de illa De divor. Nam alia est ratio depre-
hensi veneficii, quod statim periculum iniecit, &
nullā cautione emendari potest, perdurante coha-
bitatione, & illa maris ac femine confociatione,
uti dictum est. Sic ut in hoc articulo coniugi, cui
huiusmodi infidiæ positæ sunt, non videatur in-
cumbere necessitas expectandæ sententiæ, cum
suæ vitæ discrimine: cum alioqui etiam ex noto-
rio ac manifestè deprehenso uxoris adulterio,
liberius permittatur marito potestas illam propriā
auctoritate expellendi, c. *Significasti de divor. Pa-*
nor. in c. fin. De adul. & in c. Literas de resur. spoliar.
Ioan. Franc. Ripa in l. Naturaliter §. nihil commune nu.
24. de acquir. posses. Atque ita omnibus rectè ex-
penlis, existimio partes Venerabilis D. Decani
esse, ut retractatā prioris instantiæ Iudicis senten-
tiā, Reum ab impetitione Actoris absolvat: eod-
em Actore in expensis utriusque instantiæ con-
demnato.

De divortijs.

S V M M A R I V M.

Separatio thori ob adulterium.

1. Excipiendū Reus interdum facit intentionem
Actoris.
2. Separationis thori iusta est causa adulterium.
3. Incestus committitur cum filia spiritali.
4. Delictum parit duplicem actionem, civilem & cri-
minalem.
5. Abolitio Principis poenæ gratiam facit, sed non ledit
ius læsi.
6. Adulter cum absolvitur à Iudice quid iurare debeat.
7. Copula carnalis quomodo probetur.
8. Testium multitudo corroborat & supplet probatio-
nem.
9. Testes singulares probant in actu reiterabili.
10. Poenā reiterari potest reiterato delicto.
11. 14. Reconciliatio quando tollat, separandi thori posse
statem ex adulterio.
12. Lenocinium non obijci maritus uxori.
13. Vxor non debet facile accusare maritum.

CONSILIVM DL.

DE intentione Mariæ R. Actoris in causa divortiali, quam instituit coram Venerabili Domino Officiali A. contra Michaëlem suum maritum Reum ad separationem thori, & cohabitationis propter dicti Michaelis adulteria, nec quoad factum, nec quoad jus ulla est dubitatio. * Factum quippe commissi per Reum, constante hoc matrimonio, multiplicis adulterij, etiam cum incestu cum duabus sororibus consanguineis dictæ suæ uxoris, apertissime probatum est: ex eo, quod Reus ad huiusmodi Actricis allegationem propositam respondendo, illam non negaverit; sed ad exceptionem absolutionis, & reconciliationis confugit, per id veritatem commissi adulterij, & incestus tacite confitendo. Etsi enim exceptio solutionis non semper & præcisè contineat confessionem debiti; ut nec exceptio absolutionis ab excommunicatione continet confessionem præcedentis excommunicationis, c. *Exceptionem de reg. iur. lib. 6. l. Non unque De except. late Lason in l. Decet de verb. oblig. sub fin. continet tamē tunc cum intentio Actoris implicite saltem continetur in ipsa exceptione, nec usquam est aliqua negatio facti, quod pro fundanda intentione assumitur, panor. & alij in c. Cum venerabilis De except. De quo in proposito dubitandum non est; ob id, quod instrumentum allegationis absolutionis, obtentæ a dicto Officiali, apertè contineat, dictum Reum judicialiter coram eodem Officiali judicialiter confessum esse, quod ipse conjugatus existens adulterium cum incestu commiserit cum duabus sororibus consanguineis suæ uxoris in tertio gradu, quodque earum alterā ē sacro fonte levaverit: quo instrumento cum Reus in hac causa utatur, omnia & singula ejus contenta quoque confiteri censetur, l. *Cum precum C. Deliber. causa, l. 2. & 3. C. De fide instrum.* Vt nihil dubitandum, nec latius inquirendum sit de intentione Actricis, sed de viribus dumtaxat objectæ duplicis exceptionis; absolutionis scilicet seu remissionis & reconciliationis.*

² Iustissima est causa petendi separationem matrimonij, seu illius usus quoad thorum, cohabitationem, & mutuam servitutem, ob mariti fornicationem seu adulterium, c. *Ex literis de divort. c. Intelleximus De adult. c. 1. Vt lite non constet can. apostolus xxxii. q. 7.* quod cum incestu adhuc est gravius, l. *Si adulterium cum incestu in princ. & §. 1. Ad leg. Iul. de adult. can. Adulterij malum xxxii. q. 7.* omniumque gravissimum ex concursu triplicis incestus: primo ex eo, quod Reus consanguineas uxoris suæ in tertio gradu stante matrimonio cognoverit, c. *Ex literis, De eo qui cognovit consang. uxoris suæ: secundo, quod consanguineas duas sorores, can. Qui dormierit xxvii. q. 2. c. Si parer xxx. q. 4.* & tertio, quod una ex duabus sororibus sit filia spiritualis ipsius Rei, quia illam ex sacro fonte susceperit: cum qua non minus quam cum propria naturali filia horrendus incestus committitur; tam iure civili l. *Si quis alumnam C. de nupt. c. 1. de cognat. spir. lib. 6. can. Ita diligenter xxx. q. 3.* quam

Canonico. Vt sanè mirum sit, quod Reus tam exigua pœna multatus, a tanto crimine in foro fori absolutus fuerit, & huiusmodi absolutionis prætextu sibi persuadeat, quod uxorem suam etiam invitam in usu & possessione matrimonij, hoc est in thoro, domo, ac mensa retinere possit.

Sic ergo probatâ Actricis intentione, saltem ex prædicta confessione judiciali (quæ etiam absenti prodesse solet, c. *Ex parte & ibi Gloss. 1. De confess. l. 1. §. si quis absente & ibi DD. de confess.*) videndum est quantum momenti in proposito habeant exceptiones Rei de absolutione & reconciliatione. Et primò quidem quoad absolutionem per Reum allegatam, nulla in actis probata invenitur quàm illa, quâ Dominus Officialis Reum prædicta sua adulteria, & triplicatos incestus confitentem, penitentem, & sibi penitentiam salutarem seu multam imponi petentem, condemnavit: primò ad sacramentalem suorum peccatorum confessionem facientem Sacerdoti habenti potestatem absolvendi in casibus reservatis Episcopo, secundò ad multam centum florenorum, aut loco illorum unius redditus annui sex florenorum & quinque stufferorum, in die Veneris sanctæ distribuendi pauperibus, & totâ vitâ suâ singulis hebdomadibus feriâ sextâ abstineat ab elu ovorum: his pœnis mediantibus absolvendo Reum in foro fori à pœna seu multâ, quam per prædicta adulteria incurrit.

Ceterum quàm angusta & stricta sit huius absolutionis potestas, demonstrat tenor verborum ejusdem, qui illius effectum concludit dumtaxat ad pœnam seu multam fori; hoc est respectu Iudicis & correctionis criminalis; per quam nunquam præjudicatur illi, qui per delicta quoque modo læsus est, & cujus aliter interest: ut regulariter criminalis accusatio & condemnatio non præjudicat actioni civili, quæ ex eodem delicto parti læsa nata & acquisita est. Vt nec ē diverso civilis actio acta & peracta, non consumit criminalem, l. 1. c. *Quando civilis actio præiud. criminali:* quia ad diversos fines tendunt; criminalis enim respicit publicam causam & jus Reipublicæ, cujus interest facinorosos & delicta, legum seu Canonum pœnis coerceri & puniri, l. *Ita vulneratus in fine Ad leg. Aquil. l. Si operis C. de pœnis;* civilis verò respicit rem familiarem seu jus privati hominis, qui per huiusmodi delicta, læsionem, vel offensam passus est. Et in his velut terminis extat Innocentij Tertij rescriptum, in c. *Intelleximus de adult.* quo mulier à viro separata, si abjurato adulterio absolutionem à Iudice impetravit, & prætextu absolutionis petat se marito reconciliari seu restitui, non auditur; nec cogitur maritus illam propterea recipere seu admittere nisi ipse quoque adulterium commiserit: quod evidens indicium est, absolutionem per se nihil efficere ad necessariam reconciliationem, aut purgationem delicti quoad offensum, & læsum conjugem. * Vt regulariter etiâ abolitio, remissio, gratia, seu indulgentia delicti per Principem etiam ex absoluta potestate facta, solius pœnæ publicæ gratiam facit, non ius alterius imminuit, l. *Indulgentia C. de generali abolit. ut nec penitentia, nec absolutio sacramentalis, panor. in c. Tua. nu. 7. De adult.* Semper enim manet nota in-

famæ, & in suo statu perdurant privatæ actiones; quia sic aboleri non debet semel contracta turpitudine; neque definit quis penitentia à tali peccato in foro exteriori nocens esse, *l. valdè §. non solum de ritu nupt. l. Qui ea mēte de furt.* cum in potestate Iudicis ordinarij non sit jus tertio quæsitum tollere, aut offensam alterius remittere, *l. id quod nostrum de reg. iur.*

6 Et sanè non tantùm absurdum, sed etiam perquam iniquum foret, Reum tam levi pœnâ pro tanto delicto absolvi, & velut vulpinâ caudâ cæcū viam sibi parare, quâ uxorem, quam sic multipliciter offendit, invitam in suo consortio & communione humanæ domus retineat; potissimum cum hujusmodi absolutio sit facta non observato juris ordine; hoc est, non præcedente abjuratione adulterij, & conversationis cum ijs, cum quibus tam manifestè adulterium & incestum commisit; quod omnino est necessarium, *d. c. Intelleximus & ibi v. nor. nu. 2. c. Ex litterarum Qui cler. vel vorentes &c.* secundum formulam à jure præscriptam, in *can. ab isto die xxxv. q. 6.* quod videlicet à die absolutio- nis, uxoris suæ consanguineæ sese amplius non sociabit; nec cum illa ad unam mensam manducabit, bibet, aut sub uno tecto manebit; nisi in una Ecclesia, aut alio loco publico, ubi nulla mali suspicio possit esse. Quæ sanè juramenti omisso, siue prudenter & collusorie siue imprudenter & per ignorantia juris facta, hoc efficit, ut Reo liberior & amplior fuerit relicta occasio vitios & incestuosos complexus, seu conversationes cum dictis duabus fororibus, seu earum altera repetendi. * Etsi enim non sit sufficienter probata carnalis commixtio Rei cum illis, seu altera earum post datam dictæ absolutio- nis; ut difficilis probationis communiter est interventus carnalis copulæ, & difficillimum aliquem deprehendere (ut inquit Vlpianus, in *l. Quod ait lex ad leg. Iul. de adult. Panor. & alij in c. Præterea de ressam.*) in ipsis rebus veneris; satis tamen probata est ejusdem Rei, præsertim cum Anna dictarum sororum alterâ, conversatio & associatio, etiam post datam dictæ absolutio- nis, in diversis locis, ijsque suspectis; ut sunt horti suburbani, privata in locis infamibus confabulationes, deambulationes & præsertim sub uno tecto mansiones, *Auth. si quis ei c. Ad leg. Iul. de adult.* quia antecedens, siue hominis, hoc est Iudicis, siue juris prohibitio hanc præsuppositionem juris, & de jure secum trahit; qui enim prohibita non fugit, in opinione & suspitione doli ac fraudis est. De conversatione hac sequente cum Anna in diversis locis, aperte deponunt Ioanna prima, Iacomina secunda, Susanna tertia, Iacobus quintus, Gertrudis sexta, Magister Marcus septimus per Atricem producti testes; & inter hos plerique de confessione & deprecatione Rei consentientis hanc cum Anna repetitam conversationem, ac promittentis, quod id amplius non faceret. * Et quamvis in scrupulosiore examinatione multa possent adferri de singularitate, item de partialitate & familiaritate horum testium; magnus tamen eorum numerus hujusmodi exceptionum considerationem discutit & avertit. Testium quippe pluralitas aptissima est ad supple- dum defectum, si quis subit, *l. si quis ex argentarijs in princ. & ibi Bal. Ang. & alij de eden. Alex. c. 5. In casu Conf. Wamels. Tom. II.*

inquisitioni n. 7. vol. 1. præsertim quia inter hos testes sunt tres, videlicet Gertrudis, Ioanna & Magister Marcus, quos etiam Reus ipse pro se in testes produxit, & producendo, eosdem ac eorum fidem approbare, & approbando potestatem excipiendi adversus illos libi præstidisse intelligitur, *l. si quis reslib. c. de testib.* * Quamvis aliorum testes singula- res, ad prooandam adulterij vel fornicationis in- dubitatam præsuppositionem, sufficiant ex plurali- tate actuum eò tendentium; quia successivam non momentaneam causam habeant, *Iacob. phil. potius reg. lib. 1. reg. 34. limit. 16.* ut ex multis singularibus actibus etiâ probatur aliquem esse usurarium, aut hereticum, *Bald. in l. 1. c. de test. Zafius conf. 11. & alij series n. 15. vol. 2. Bald. in l. 1. c. de probat.* Sic ut di- versitas temporis aut loci (quæ aliàs solet operari singularitatem in testimonijs) in proposito non sit curanda, *Zafius d. nu. 15.* quia hic agitur de præ- sumptiva actus probatione, quæ ex singularibus & pluribus actibus colligi, & confici debet, in & super actu, qui suâ naturâ probatu difficilis est, & in quo etiam ex præsuppositionibus ad condemna- tionem de jure licet procedere: ut est in adulterio, & incestu. Quod nullam habet dubitationem, ubi agitur de probatione repetiti cum eadem persona adulterij, seu incestus, unde & ex quo quis semel damnatus & correctus fuit: quia repetitio, & re- ditus ad hujusmodi delicta in proclivi & facili est ex naturâ & diabolice fraudis instinctu.

Cum itaque sufficienter constat de repetito ad- 10
ulterio, & incestu post datam dictæ absolutio- nis: nihil prodesse potest ad exceptionem, ejusdem absolutio; nè quidem quoad pœ- nam criminalem: quia hujusmodi absolutio non tribuit impunitatem delicti postea perpetrati; nec unum delictum seu pœna pro eo imposita, exclu- dit aliud, nec alterius impunitatem præstat, *l. Num- quam plura de privat. delictis*; sed quando pœna est reiterabilis, reiterato delicto, reiteratur quoque pœna, quæ ab eo dependet, *Ioan. de Anania in d. c. In- telleximus n. 1.* In quo non est opus scrupulosius con- sultare; ex quo (ut diximus) dicta absolutio nullo modo est impedimento, quò minus etiam ex ante- cedentibus adulterijs & incestibus, Atricis suo jure adversus Reum uti possit; hoc est petere sepa- rationem, seu divortium, quoad thorum, & mū- tuam societatem.

Exceptio reconciliationis paulò majorem pro- 11
babilitatem, & apparentiam habet; ob id, quod jus innocenti conjugii competens, ad versus conjugem ad hanc thori & mutue servitutis separationem, propter illius adulterium perimatur, & resolvatur, si innocens post delictum, ipsum delinquentem ad solitam conversationem admittat, quasi remissa hac injuria, *c. si vir de adult.* Ut generaliter omnis in- juria, & injuriarum actio per reconciliationem ex mutua conversatione, & convivio seu symposio, vel cohabitatione tollitur, *§. fin. Institur. de iurys; & semel sublata nunquam ex eodem præcedenti facto resuscitatur seu reviviscit, gloss. in d. §. fin. Pe- trus à plura in epitome delicti in 6. nu. 40. & 41.* Sed juris hæc potestas hic considerabilis non est: ob id, quod non extet concludens & sufficiens probatio allegatæ reconciliationis, vel ex concubitu, vel ex communi conversatione voluntariâ. Constat sanè

sanè Atricem à Rei confortio & lecto ante ob-
tentam absolutionem, quantum potuit abstinuisse:
quod ipsemet Reus satis etiam fatetur, confitendo
se ab eadem fuisse expulsum: nec alius adducitur
actus reconciliationis, quàm quod semel cum
Reo Atricem cenam sumperit, & uno tempore in
cubiculo Rei dormierit: quorum utrumque
fieri potuit absque reconciliatione, de qua hic
agitur, & quam inducere solet verus concubitus
cum copula, non vaga conversatio, vel condormi-
tio, in eodemque loco aut cubiculo; cum hæc
contingere possit absque copula, & sic etiam abs-
que reconciliatione. Et sanè tanto minus vero-
simile est condormitionem cum copula interven-
nisse, quod inter se continuò infestissimis fuerint
animis, & Atricem semper metuerit, ne per Reum
inficeretur aliquo morbo, ex vitæ lubricitate &
scortis contracto. Ita ut allegata reconciliatio,
neque ex unâ communi cena, neque ex una
dormitione in eodem cubiculo constitui possit,
sed nec ex perdurante cohabitatione in unâ domo,
cum hanc Atricem continuare teneatur ex juris ne-
cessitate; ne ultro se separando à suo marito; & de-
serendo illius domum sine iudicio Ecclesiæ, in vi-
tium spoliij incideret, & spoliatum maritum per
reversionem ad illam restituere cogere, *c. Literas*
De restit. spoliat. Quinimò si vir vellet, cogere-
tur etiam ipsi debitum reddere ex mandato Ecclesiæ;
sed inde tamen non censeretur marito post com-
missum per ipsum adulterium reconciliata: quia
id fecisset involuntariè & ex juris necessitate, pro-
pter præceptum Ecclesiæ, *Paror. in c. Tuna nu. 7. De*
adult. Necessitas enim voluntati contraria est, & li-
beralis animi, donationis, remissionis, ac reconci-
liationis opinionem ac præsumptionem excludit,
l. rem legatam in fine De adimen. leg. Cum alioqui di-
ligenter expendendo testimonia ab utraque parte
producta, satis probatum videatur, quod Reus
etiam post absolutionem, & sub tempus huius litis
ad adulteria & incestum, cum prædicta prælerim
Anna, relapsus fuerit; quodque post hæc nullus
comperietur actus, ex quo constitui possit reconci-
liatio.

Quinimò hoc amplius dicimus, quod etiam si
constaret Atricem Reo exactissimè reconciliatâ
fuisse, & quod post reconciliationem huiusmodi
nullus contigisset Rei relapsus; adhuc tamen per-
mittenda & indulgenda esset Atricem petita separa-
tio. Nam quamvis hæc reconciliatio operaretur,
ut propter præteritum mariti simplex adulterium
non posset postea ex poenitentia petere hanc sepa-
rationem, ut superius diximus; quia tamen ad-
ulterium non esset simplex, sed qualificatum; hoc est,
adulterium cum incestu, non obstante interven-
tu copulæ, sive voluntariæ ad petitionem ipsius ux-
oris, sive involuntariæ ex necessitate juris; posset ni-
hilominus uxor postea quancumque petere sepa-
rationem: ut ex sententia Cardinalis, & Ant. de
Butrio, eleganti distinctione docet Panormitanus,
in c. Transmisit nu. 7. de eo qui cog. consang. uxoris sue.
Hanc suæ distinctionis & differentię rationem
assignans, quod mulier injuriam per maritum il-
latam ex simplici adulterio (quod uxores maxi-
mè pudicas exasperat, *l. Consensu C. De repud.*) pos-
sit propriâ auctoritate remittere: quodque remit-

tendo jus petendæ separationis sic amittit, ut dein-
de ad illud non detur amplius regressus, *l. Quamvis*
§. si venditor de adit. edito. At quando maritus ad-
ulterium commisit cum incestu, maior subest in-
juria etiam ipsius Reipublicæ, quæ atrocitate ge-
minati delicti principaliter offenditur; quam idcir-
co uxor ut remittere non potest, ita nec exigendo
aut admittendo debitum, remittere censetur; & sic
jus petendæ quancumque separationis manet
integrum & liberum. Cum igitur hic accusetur
Rei adulterium, conjunctum cum triplici incestu,
nihil patocinari potest Reo allegatio reconci-
liationis, etiamsi optimè probata esset. Quod dili-
genter per Venerabilem D. Iudicem observandū
erit; quia continet extremam decisionem huius li-
tis, in quancumque partem res vertatur, aut tra-
hatur: ut nihil opus fuerit oculis conijcere ad ea,
quæ de morositate Atricis, aut de suspecta ejus
antecedente vitâ aut prole nata ex alio patre ante
hoc cum Reo matrimonium allegata sunt; cum
hæc neque probata sint, neque probata prodessent;
& contractum etiam cum meretrice matrimonij,
accusari non possit, *c. Inter opera De sponsal.* nec
tendant hæc ad retentionem, sed potius ad sepa-
rationem matrimonij; imò ad separationem matri-
monij propolita, nihil operantur: quia ex antece-
dente vitæ lubricitate, ut diximus, matrimonium
accusari non potest, *d. c. Inter opera;* nec ex eâ ali-
qua injuria futuro marito, qui incertus est, infer-
tur. Hoc sanè operatur ea allegatio, ut Venera-
bilis Dominus Officialis proclivior esse debeat in
ferenda sententia separationis: quod aperte pro-
spiciat ex huiusmodi acerbitatibus numquam fu-
turam quietam aut pacificam cohabitationem in-
ter tam infestos, & sibi invicem infensos; etiamsi
Reus retinendorum bonorum dotialium aviditate
conceptam suam iram, & offensam tegat, metu
amissionis illorum, *c. Plerumque de donat. inter vir.*
Et uxor. cum etiam ipse prior Atricem in ius vo-
caverit ad obtinendam hanc separationem; à cu-
jus persecutione consulto manum, metu dictæ
amissionis, retraxit. Et sic existimo partes Vene-
rabilis Domini Officialis esse, ut secundum conclu-
sionem pro parte Atricis propositam, in omnibus
& per omnia etiam, quoad expensas litis senten-
tiam ferat.

Additio.

PAVCIS respondendo ad Iuris questionem
pro parte Venerabilis Domini Officialis A-
propositam in causa Domicellæ Mariæ R. Atri-
cis, contra Michaelē Reum, dicimus, uxori,
quæ, maritum pluribus annis adulterantem pas-
sa, non obstante ejus adulterio, cum eo pluribus an-
nis in unâ domo, mensa, & lecto perseverat, non
esse præceptam facultatem accusandi matrimonij,
ad effectum separationis à thoro viri: ita ut excep-
tione, sive lenociniij sive dissimulationis, sive re-
conciliationis, dum separationem petit, repelli
non possit. * Lenociniij enim exceptio uxori con-
tra maritum rectè datur, *l. 2. §. si publico Ad leg. Jul.*
de adult. non è diverso marito adversus uxorem,
quæ sui mariti (quem prostituere non potest) lena
non rectè dicitur, *l. 4. §. 1. De his qui not. infam. l. 1.*
mariti §. qui quæstum Ad leg. Jul. de adult. l. 2.
C. eod.

Diffimu.

13 Dissimulatio quoque quamvis marito obijci, & adversus eum de eo excipi possit, tunc cum iustam ignorantiam prætere, aut patientiam suam prætextu invidiæ adumbrare non potest, d. l. *Mariti in princ.* in uxore tamen, cui adversus maritum facile insurgere non est permittum, idem constitui nequit; cum illi ad virtutem & obedientiam commendationem referatur, c. *Manifestum*, c. *Noluit*, c. *Mulierem xxxiii. quæst. 5.* si malos mariti mores dissimulet; quos per leges civiles, l. 1. & ibi *Gloss. c.* ad leg. *Jul. De adul.* etiam jure Canonico approbas, can. *Apud misericordem §. publico xxxiii. quæst. 1.* accusare non potest; & uxor facilius suam patientiam adumbrare possit, vel prætextu incredulitatis, vel difficultatis probandi; prout diffculter adulterium præsertim in viris probari potest, d. l. *Mariti*; imò vera scientia uxori non obest, nisi quoque probetur ei adesse facultatem probandi; quia ei asseveranti etiam jurato non crederetur, l. *Actor Cod. De probat.*

14 Quare continuatio cohabitationis apud maritum adulterum, uxori innoxie nocere non debet, ad jus suum exercendum, tunc cum probationis indubitata facultatem nanciscitur: ut in similibus terminis consulendo respondit Ioachimus Mynsingerus, *consil. l. nu. 33.* Ita ut in proposito præfate Actrici tandem ex propria mariti iudiciali confessione, ejusque condemnatione, & correctione nacta indubitata probationem, obijci non possit præteriti temporis patientia, & dissimulatio; ne ex aliena virtuosa patientia, Reus improbitatis suæ hoc commodum referat, ut uxor eum adulterum ulterius pati debeat; & quoad ipsam, separandi thori poenam non subeat. Atque ita constat exceptionem reconciliationis hic locum habere non posse; non enim rectè dici potest intervenisse reconciliationem, nisi diffidio, vel jurgio aliquo prius suborto, l. *Cum hic status §. si divorcium De donat. inter vir. & uxor.*

Et sanè hæc extra dubitationem Venerabili Domino Officiali esse debent: od id, quod proponendo hanc quaestionem aperte confiteatur, omnino clarum, & notorium de jure esse, uxorem posse ad emendationem mariti illum accusare, seu denunciare: cum paulò antè dixerimus, accusandi mariti ad poenam adulterii facultatem uxori omnino non esse, etiam ex jure Canonico; quantumvis accusandi illius ad separationem thori facultatem habeat, c. *Gaudemus de convers. coniug. at. c. Plerumque De donat. inter vir. & uxorem.* Deinde huc revocandum & repetendum est, quod primo nostro consilio in hac causa reddito, deduximus, reconciliationis, & ex consequenti exceptionis ex illa, considerationem hic haberi non posse; ob ius singulare, quod concurrere diximus in accusatione adulterii ad separationem thori qualificati; hoc est, commissi cum incestu: quod in hac causa multiplex est. Quamvis alioqui hæc proposita quaestio supervacanea sit, nec causæ inservire possit: ob id, quod hic non agatur tam de præteritis Rei incestuosus adulteriis, quam de novis; quæ commissæ sunt, etiam post publicam illam mariti confessionem, atque item ante eam; cum Actrix de facto sese subtraxerit à mariti lecto, post quod non probatur Reo concubuisse. Etsi enim regula

Conf. Wamcl. Tom. II.

riter reconciliatio (quæ tamen verè hic etiam quoad præterita nulla est) tollat petitionem separationis thori, ex adulteris reconciliationem antecedentibus, d. c. *Plerumque*; non impedit tamen ea reconciliatio, quin si nova post illam committantur adulteria, rectè peti possit hæc separatio. Non enim æquum est, præteritorum delictorum abolitionem præbere impunitatem sequentibus, *Anchor. in his terminis d. c. Plerumque n. 3.* quæ ob id non minus, sed acrius punienda sunt. Et hoc est, quod dicit Glossa, in d. c. *Plerumque in verb. reconciliata*, quod licet mulier post reconciliationem non possit marito præteritam fornicationem obijcere, quia ei illam remisit: possit tamen, si postea fornicetur, quasi scilicet reconciliationi insit hæc conditio, *Si postea non fornicetur*. Indeque est, quod qui meretricem, aut viduam adulteram uxorem, sciens illam talem esse, ducit, non amittit facultatem illam accusandi de adulterio; etiam ad separationem thori & lucrum dotis, si postea fornicetur: nam comprobatio malorum morum antecedentium, non inducit comprobationem futurorum; quia contracto sic matrimonio inest velut lex, ut amplius id non faciat, sed castè vivat, c. *Inter opera de sponsalib.* Atque ita persistendo in prius à nobis deductis, existimamus, propositæ quaestioni abundè satisfactum esse; nihilque esse, cur Actrix petitam separationem cum effectu obtinere non debeat.

De divortijs.

SUMMARIUM.

Separatione thori inter conjuges facta quæ sit bonorum ratio.

1. 6. Separatio thori quid operetur inter coniuges.
2. Separandi thori qui causam dedis societas coniugalit commoda amittit.
3. Statuta & pacta de lucro nuptiali stant sub hac conditione nisi divortium fiat culpa eius qui lucrari vult.
4. Maritus non succedit uxori ob culpam mariti separatæ.
5. Maritus non retinet rem per consanguineam uxoris separatæ alienatam.
7. 9. Mulieris separatæ contractus auctoriz. at Index.
8. Alienatione rei Ecclesiastica auctoritatem præstat Papa, dum Episcopus illam præstare iniuste recusat.

CONSILIUM DLI.

STANTE consuetudine, quod uxor sit velut in potestate mariti, & nullum contractum sine ejus consensu, aut auctoritate facere possit; ut ferè ubique per Galliam, ac Belgicam servatur, *Chassan. ad consuet. Burgun. tit. Des divorts & appart. à gens mariez §. 10.* quaeritur, num mariti consensus & auctoritas requiratur necessario, si propter culpam viri, auctoritate & iudicio Ecclesiæ, matrimonium quoad thorum & cohabitationem separatum sit, & postulante necessitate, & utilitate uxor aliquid de bonis suis immobilibus velit alienare? Respondi, quod quamvis separatio thori, quæ ex jure Canonico originem trahit, non dissolvat vinculum matrimonii, ne quidem ex causa adulterii, aut alterius maleficii, c. 2. c. *significasti c. Ex literis De divori.* operetur tamen eosdem ferè effectus civiles, quos operatur jure civili (permittente ex plurimis causis divortium) extra nexum, seu vinculum matrimonii; ita quod

Aaa 4

quod